

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538889

Titelblatt

urn:nbn:de:gbv:45:1-16577

L V I I

DISSERTATIO

M E D I C A,

D E

ANEVRYSMATE VERO PECTORIS
EXTERNO HEMIPLEGIÆ SOBOLE

Quam tuebatur

J O H. J A C O B. W E L T I N U S,

F O R O - T I B E R I E N S I S,

Basileæ 18 Augusti 1750.

D d d d 3



1744
D I S S E R T A T I O

M E D I C A E

A N N U A T I O N E V E R O T O R I S

E X T R A O R D I N A R I I S S O C I E

J O H A N N E S W I L H E L M U S

P R O F E S S O R

E X T R A O R D I N A R I U S

1744



HISTORIA MORBI

Virum rusticum 45. annorum ætatis, Jacobum Jæger, Breitenbaccensem, ex ditone Helvetiorum Solodurensi, alias sanum, vegetumque, iter forte facientem, inopinato hemiplectico prehendit insultus; in quo amissis sensibus, loquela, nec non motu, & pedis, & manus dextra, voluntario privatus, oculos tamen apertos, os vero quam vehementissime clausum ostendit, immo in latere sinistro, aliquales apparere motus convulsivi, postliminio tamen omnium functionum compos redditus, in presentiarum tam in manu, quam in pede, & sensus & motus facultate satis pollet. Verum tamen post paucos, à paroxysmo hemiplectico interjectos dies, sine ulla alia causa violenta progressa, enatus est tumor jam describendus. Intumescencia sc. admodum notabilis occupat locum, 3. aut 4. digitos transversos infra claviculam situm, circa quartam circiter costam veram, immediate sub integumentis, & supra musculum pectoralem majorem sinistri lateris occurrens, tribus quasi tuberculis constans; quorum primum statim à latere sinistro sterni, parte ejus media, mole nucis juglandis circiter, figura prope globosa, cuti concolor, & pressioni cedens adparet, cum pulsû vehementissimo, & ad pressionem digiti graviter invalescente, cum arteriæ in carpo aliarumque pulsû, synchrono. Secundum, magnitudine primum aliquanto superans, figura globum quasi compressum æmulatur, & spatio unius probe digiti ab illo remotum, magis versus exteriora occurrit, cum pulsû æque violento, & cæteris arteriis plane synchrono. Tertium, dimidio minus precedentibus, ad costam tertiam veram sedet, paulo supra tuberculum primum, ad marginem quoque sinistram sterni, haud longe ab articulatione clavicula cum sterno distans, quoad pulsû prioribus haud ab simile. Spatium tribus his tuberculis interjectum paulo est depressius, digito injecto æque cedens, & fortissime pulsans. Si unum, aut plura horum, manu vel digiti adplicatis comprimantur, vir dolorem cum molesta anxietate, & fortiore accedente pressione, fere intolerabili, ac imminente lipothymia percipit, præsertim si supra tumorem, & ex opposita dorsi parte, manu injecta, utrinque pressio adhibeatur. Situm supinum non facile tolerat, in latere sinistro, qua parte tumor est, non sine molestia, in dextro autem, paulo commodius decumbit. Celeriter motus, aut per loca acclivia ascendens, cordis palpitationem & dyspnæam notabilem patitur. Cæterum aliqua capitis vertigine, & lingua balbutie, inde ab hemiplegiæ insultu relicta, laborat: ac facie, habituque corporis, cachectica labis speciem præ se ferre videtur.

ANALY.